Christiani Kisii ão 97. d. 25. Junii

Sum Chri[illegible]
ad 1686. 3. Xbris.

vide Dreieri diss. g[l] Pontificios de hac mat[eri]a a[nn]o 1649. editam p. 831.

DE PRINCIPIIS FIDEI CHRISTIANÆ, SIVE DE CREDENDI REGULA

DISPUTATIO VII,

Quâ
Adhuc Revelationum Judaicarum divina conservatio, cum lumine naturæ concordia & veritas ostenditur; itemq; Christianarum revelationum initium proponitur,

Deo feliciter juvante
publicæ ventilationi subjecta,

PRÆSIDE

CHRISTIANO DREIERO,
S. THEOLOG. D. ET PROF. PRIMAR.

RESPONDENTE

M. JOHANNE ALBERTO THILONE,
Lyccæ & in vicinis locis Archipresbytero, Scholæ Provincialis Inspectore,

Ad diem 7. Octobr. in Auditorio majori horis antemeridianis.

REGIOMONTI, ANNO M DC LXVI.
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. ET ACAD. TYPOGR.

Corollaria.

I.

JAm ante versionem LXX. Interpretum extitisse quædam versio Græca Scripturæ videtur, secus, quàm Baronius existimat.

II.

Septuaginta Interpretum versio in quibusdam præferenda est codici Hebræo Masoretico.

III.

Mendacium quoddam justum & licitum esse, statuunt & Philosophi & Christianæ Ecclesiæ doctores.

IV.

Neq; id patrocinatur Priscillianistis, quippe qui & mentiebantur contra jus, & defendebant, quod juri adversum est, mendacium.

V.

Nihil impedit, quo minus dicatur Paulus Petrum simulatè reprehendisse ex compacto, Gal II. 11. uti Hieronymus & alii Patres locum istum interpretantur.

VI.

Multi sunt Scripturæ sensus in quibusdam locis, tum mystici, tum literales, neq; tamen id Scripturæ certitudini quicquam derogat. Exempli loco adducimus verba sanctæ Eucharistiæ, *Hoc*

est

est corpus meum, quorum multiplicem sensum Ecclesia agnoscit.

VII.

Fides prærequirit cognitionem aliquam, sed non ratione aut syllogismo collectam, nisi fortè per accidens.

VIII.

Qui conclusiones ex Scripturis deductas dicit ad fidem pertinere, seu fide teneri, ineptit, tribuens fidei, quæ sunt scientiæ Theologicæ.

IX.

Qui Theologiam tractant ex recentioribus Theologis, negligentes traducem doctrinæ, jam inde ab Apostolorum temporibus ad nos derivatæ, & in Catholica Ecclesia asservatæ, Sophistis similes sunt, jactantibus scientiam, quam non habent.

X.

Non qui in quæstionibus disputabilibus dissentiunt, sed qui ob dissensum talem charitatem Ecclesiæ debitam fratribus negant, verè Schismatici sunt, iidemq; hoc tempore in omnibus passim Ecclesiis reperiuntur, & verè Catholicis sunt intermixti: Tantò igitur magis sibi quisq; caveat necesse est.

(o)

CXVI. Versio autem sub Philadelpho facta, ita contigit: Demetrius Phalereus regiarum bibliothecarum præfectus dabat operam, consensu & jussu regis, ut insignem Alexandriæ bibliothecam construeret. Is svadebat regi, ut & leges Hebræorum, omnino cognitu dignas, in Græcum sermonem verti & in bibliothecam inferri curaret: *Sapientiorem enim & sinceriorem eas legislationem continere*, dicebat, *utpote divinitus proditam.* Annuit rex, & scribit ad Judæorum Pontificem, ut curet hoc negotium ex sententia sua confici. Inde occasionem captat Aristeas, unus ex intimis regis amicis, intercedendi apud regem pro Judæis sub ejus imperio degentibus, ut libertati restituantur. Præstabat rex quod petebatur, Judæos per Ægyptum ad CXX millia libertate donabat, missisq; templo donis petebat ab Eleazaro Pontifice, ut senes per tribus, viros probatos interpretandæ in Ægypto legi destinaret. Is dicto audiens, & legem & interpretes optimos ad regem misit, septuaginta duos, id qvidem *præter ingenium suum se facere* fassus, attamen meritò regis postulato ob accepta beneficia se annuere. Veniebant Alexandriam cum *membranis, qvæ legem aureis literis inscriptam continebant:* Rex gratias ipsis & Pontifici agebat, *maximas Deo, cujus leges attulissent.* Inde *assignabat ipsis domum* per Demetrium Phalereum, *remotam à strepitu, & contemplationi rerum idoneam.* Sic rem aggressi *versionem legis intra septuaginta duos dies absolverunt*, qvam à Demetrio prælectam Judæi omnes in eundem locum convocati, unanimiter approbarunt magno cum gaudio regis; qvi sciscitatus ex Demetrio, cur nullus historicus aut poëta legum tam admirandarum mentionem faceret, hoc responsum tulit, *neminem ausum eam attingere, qvam constaret divinam esse & omni veneratione dignissimam.* Sic lex qvidem versa est, sed postea redeuntes iidem interpretes, qvicqvid reliqvum erat scripturarum divinarum in Græcam lingvam pariter

Diss. 7. Resp. M. Joanne Alberto Thilone, Lyceæ & in vicinis locis Archipresbytero, Scholæ Provincialis Inspectore.

ter transfudisse videntur. Omnia describit Aristeas ipse, qvi huic negotio interfuit, editô eam in rem peculiari librô. Eumq; secutus est Josephus lib. I. Antiqvit. cap. I. & lib. XII. cap. 2. qvi & ad Aristeam provocat, & literas hoc de negotio ultro citroq; missas recenset. Philo Judæus eandem Historiam refert lib. II. de vita Mosis, & inter cætera in medio sic ait: *In eo secessu cum consedissent solitarii, nemine interveniente arbitro —— tanqvam numine correpti prophetabant non alia alii, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante omnibus invisibiliter. Et quis nescit cujusq; linguæ, præsertim Græcæ copiam, ut eadem sententia possit enunciari modis variis, nunc has nunc illas dictiones accommodando. Id negant factum in prodendis his legibus, sed reddita propria propriis nominibus, Græcis ad Chaldaica* (Hebraica) *exactè respondentibus, quò melius perciperetur rerum notitia.* Et postea: *Sive Chaldæus —— Græcam linguam, sive Græcus Chaldæam didicerit, in utraq; scriptura tum Chaldaica, tum ejus interpretatione miratur germanitatem, imo rerum verborumq; consonãtiam adorat, non interpretes illos, sed initiatores & prophetas appellans, quibus datum est sincerissimas Mosis cogitationes assequi spiritu purissimo. Quamobrem hodieq; solennis celebritas renovatur in Pharo insula,* (ubi versio adornata fuit) *ad quam non tantùm Judæi, sed & alii plurimi trajiciunt, locum veneraturi, in quo primùm visa est hæc interpretatio, & pro tanto beneficio quasi recente acturi Deo gratias.* Hæc ille.

CXVII. Idem Patres seu Christiani doctores repetunt & inculcant. Justinus Martyr in Parænetico ad Græcos, ante medium, ubi ad Josephum, Philonem, & alios provocat. Et Apologia II. ad Antoninum, ante medium scribit, Ptolomæum *ad Herodem Judæorum tum regem misisse*, petitum libros sacros, qui & legem & interpretes ipsi dederit. Irenæus lib. III. cap. XXV Ptolomæo Lagi filio hoc adscribit, forsan quod ipso adhuc vivente

vente tale quid cœptum fuerit: Nam *ante infirmitatem suam pater filio regnum tradiderat*, teste Justino Historico lib. XVI. num. II. Præterea is non solùm legem, sed sacros libros omnes versos fuisse refert. Eadem ferè habet de versis integris scripturis sub Ptolomæo Lagi, aut Philadelpho Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum ante finem & pariter mirabilem interpretum concordiam describit. Tertullianus in Apologetico, circa medium plures circumstantias addit, & provocat ad Menedemum, Aristeam, ad templum Serapidis in Ægypto, in quo libri sacri tunc adhuc fuerint ostensi, & ad Synagogas Judæorum. Eusebius lib. VIII. Præparat. Evangelicæ cap. II. eandem rem ex Aristea narrat, & sequentibus capitibus Epistolas recenset Demetrii Phalerei ad regem Ptolomæum, Regis ad Eleazarum Pontificem, Eleazari ad regem. Idem etiam de separatis cellulis, in quibus consederint prolixè referunt, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi IV. Illuminatorum, & Epiphanius in libro de Mensura & Ponderibus, num. III. Philastrius Brixiensis lib. de Hæresibus, Hæresi XC. de LXX. interpretibus similia habet. Augustinus lib. II. de Doctr. Christiana cap. XV. Tom. III. *Multos*, ait, *non indignos fide prædicare*, quod *singuli cellis etiam singulis separati cum interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum sit, quod non iisdem verbis eodemq́ue verborum ordine inveniretur in cæteris.* Quomodo autem totum negotium versionis peractum fuerit, refert lib. XVIII. de Civit. Dei cap. XLII. Tom. V. & separatim eos sedisse itidem dicit. Hieronymus eandem rem narrat Commentar. in Danielis cap. XI. Tom. IV. at illud de cellulis separatis dictum in dubium vocat, in cap. XXXIII. Ezechielis, Tom. IV. & Prologo in Pentateuchum: *Nescio*, inquit, *quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitârint, cum Aristeas ejusdem Ptolomæi ὑπερασπιστής, & multò post tempore Josephus nihil tale retulerint; sed in una basilica congregatos*

tos contulisse scribant; non prophetasse. Extat adhuc Aristeæ liber de LXX. interpretibus, & ille continet omnia, quæ veteres in eo contineri dicunt, nec causas sufficientes proferunt, qui ejus fidem sublestam facere moliuntur.

CXVIII. Id verò maximè notandum est, quod tandem hæc Bibliotheca conflagrârit, nec tamen libri, sive in Hebræa, sive in Græca lingua interierint. A. Gellius lib. VII. cap. XVII. *Ingens*, inquit, *postea numerus librorum in Ægypto à Ptolomæis regibus vel conquisitus vel confectus est, ad millia fermè voluminum septingenta. Sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non sponte neq; operâ consultâ, sed à militibus fortè auxiliariis incensa.* Ammianus Marcellinus lib. XXII. sub finem sic ait: *In quo* (Serapio) *bibliothecæ fuerunt inæstimabiles: & loquitur monumentorum veterum concinens fides, septingenta voluminum millia, Ptolomæis regibus vigiliis intentis composita, bello Alexandrino, dum diripitur civitas, sub dictatore Cæsare conflagrâsse.* Plutarchus in vita Cæsaris, supra medium, hæc habet: *Quum insisterent ei* (Cæsari) *adimere classem, compulsus est periculum propulsare incendio, quo magna bibliotheca ex navalibus depascente conflagravit.* Eadem divina protectio & postea se exeruit, Ægypti & Syriæ regibus inter se confligentibus, omniaq; ferro & flamma miscentibus. In quibus bellis Judæi multa passi sunt; gravissimè autem omnium eos afflixit Antiochus Ephiphanes Rex Syriæ, occupatâ Hierosolymâ, multis millibꝰ cæsis, cultuq; divino everso. *In templo*, inquit Josephus lib. XII. Antiquit. cap. VII. *arâ positâ porcos mactavit, sacrificium à Judæorum religione alienissimum: & cogebat omnes, abrogato vero Dei cultu, ipsius venerari numina: & oppidatim extructis templis atq; altaribus porcinas in eis quotidie jugulare victimas. —— Abolebatur etiam, ubicunq; repertum esset sacrum volumen aliquod, & ipsi apud quos inventum esset, mali malè peribant.* Judæi, ait Porphyrius lib. IV. de Abstinentia,

nentia, §. XI. *sub Antiocho maximam legum violationem passi sunt.* Tunc ergo, si humana potestas hîc aliquid valuisset, libri divini funditus extirpati fuissent: At manserunt, divino eos Numine protegente. Tyrannus scelerum pœnas dedit, horribili morbo in Perside extinctus, quò ad spoliandum Dianæ templum profectus perhibetur. *Demiror*, inquit Josephus lib. XII. Antiquit. cap. XIII, *Polybium Megapolitanum, qui — ait hunc Antiochum periisse, quod conatus sit Dianæ templi thesauros ac donaria diripere — quod si hæc causa Polybio digna videtur, cur Antiochus deberet capite pœnas persolvere, multò verisimilius est ob exhaustum sacrilegiis Hierosolymitanum templum acceleratum esse ejus interitum.* Hieronymus in cap. XI. Danielis: *Polybius*, inquit, *& Diodorus, qui bibliothecarum scribunt historias, narrant, eum non solùm contra Deum fecisse Judææ, sed avaritiæ facibus accensum etiam templum Dianæ in Elimaide, quod erat ditissimum, spoliare conatum, oppressumq; à custodibus templi & vicinis circum gentibus, & quibusdam phantasiis atq; terroribus versum in amentiam ac postremùm morbo interiisse, & hoc ei accidisse commemorant, quia templum Dianæ violare conatus sit. Nos autem dicimus etiam si acciderit ei, ideo accidisse, quia in sanctos Dei multam exercuerit crudelitatem, & polluerit templum ejus. Non pro eo, quod conatus est facere, & acta pœnitentia desivit implere, sed pro eo, quod fecit, punitus esse credendus est.* Hæc ille. Porro nec Romanorum potentia, cum totum pœnè orbem subjugaret, revelationes Judæis concreditas extinguere & abolere unquam potuit, licet regnum eorum & templum tandem everterint, quod nec ipsum præstare citius potuerunt, quàm venisset tempus ab ipsis his revelationibus præfinitum. Pompejus, qui primus Hierosolymam occupavit, intimum templi atrium ingressus, *conspexit quæ nefas erat à quoquam aspici præterquam à Pontifice*, nihil tamen inde abstulit, sed cultum Dei potius instaurari curavit, teste Josepho

 lib. XIV.

lib.XIV. Antiquit. cap. VIII. lib. I. de Bello Judaico cap. V. *Cn. Pompejus, captis Hierosolymis, victor ex illo fano nihil attigit*, ait Cicero Oratione pro L. Flacco, num. XXVIII. Marcus Crassus autem *octo talentorum millibus templum spoliavit. Tulit etiam trabem auream trecentas minas pendentem*, ut habet Josephus lib. XIV. Antiq. cap. XII. sed cultum divinum non destruxit. Postea & Cæsar, & Antonius, & Augustus in ista loca cum exercitibus venerunt, sed religionem Judæis cum sacris libris sartam tectamq; reliquerunt.

CXIX. Ulterius revelationes Judæorum nihil continent, quod cum lumine naturæ pugnet: Unum enim Deum colere docent, & cultum plurium deorum tanquam idololatriam damnant. Id non solùm ex ipsis revelationibus manifestum est, sed & gentilibus abundè innotuit. Strabo lib. XVI. Geographiæ in medio: *Affirmabat*, inquit, (Moses) *docebatq; Ægyptios non rectè sentire, qui bestiarum ac pecorum imagines deo tribuerent, itemq; Afros, & Græcos, qui diis hominum figuram affingerent. Id verò solùm esse Deum, quod nos & terram ac mare continet, quod cœlum & mundum & rerum omnium naturam appellamus, cujus profecto imaginem nemo sanæ mentis alicujus earum rerum, quæ penes nos sunt, similem audeat effingere. Proinde omni simulacrorum effictione repudiata, dignum ei templum ac delubrum constituendum.* Tacitus lib. V. Histor. non multùm ab initio, hæc habet: *Judæi mente sola, unum numen intelligunt. Profanos, qui deûm imagines, mortalibus materiis, in species hominum effingunt. Summum illud & æternum, neq; mutabile, neq; interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt.* Idem indicat iste versus Juvenalis Satyrâ XIV. ante medium: *Nil præter nubes & cœli numen adorant.* Dio Cassius lib. XXXVII. supra medium, de Judæis sic scribit: *Diversum à reliquis hominibus obtinent, cum aliis in rebus, usuq; vitæ quotidiano, tum eo præsertim, quod nullum ex*

cæteris diis colunt, unum autem quendam summo studio venerantur. Tum quoq; temporis nullum Hierosolymis simulacrum extabat: Nimirum suum illum Deum ineffabilem invisibilemq; ἄῤῥητον καὶ ἀειδῆ *existimantes religioso ejus cultu cæteros mortales superant.* Nec sacrificia humana permittunt revelationes Judæorum, sed prohibent, nec quicquam habent, quod pietati & bonis moribus adversum sit, adeo ut ipsi gentiles pietatis & sanctitatis testimonium de Judæis perhibeant. Strabo lib. XVI. in medio: *Talia Moses dicens*, inquit, *hominibus bonis fidem fecit —— facilè gentes omnes finitimæ, tanta proposita spe, & hujusmodi consvetudine ductæ se adjunxerunt. Successores aliquandiu in iisdem institutis mansere justi & verè religiosi.* Justinus Historicus lib. XXXVI. num. II. sic ait: *Semper exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eosdem reges & sacerdotes haberent: quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.* Tacitus lib. V. Histor. parum ab initio: *Transgressi*, inquit, *in morem eorum idem usurpant; nec quidquam prius imbuuntur, quàm contemnere deos* (gentilium) *exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere*, nempe præ Dei lege, ne eam relinquant, vel contra eam peccent. Sic & Dio Cassius lib. XXXVII. ante medium dicit, *religioso* Dei *cultu* eos *cæteros mortales superare.* Porphyrius Essenos Judæorum miris modis deprædicat ob pietatem, sanctitatem & justitiam, lib. IV. de Abstinentia ab esu animalium §. XI. & seq. §. XII. *Erga Deum*, inquit, *singularem religionem exercent: Priusquam enim oriatur sol, nihil profani loquuntur, sed à majoribus accepta quædam vota ad Deum fundunt, tanquam ut oriretur precantes.* Hinc quid operentur, refert, & §. XIII. cujusmodi juramento se obstringant, *quod* scilicet *Deum religiosè colere* velint, *justitiam erga homines tueri, neq; sua sponte neq; ab alio jussos quempiam lædere, quin imo iniquos omnes odio habere, justos autem omni opera opeq; adjuvare. Fidem datam unicuiq;, inprimis verò magistratibus illæsam servare*, & quæ

sunt-

sunt similia. Paulò post: *Tanta est eorum in victu simplicitas & parsimonia, ut die septimo non opus habeant ventrem levare. Illum autem diem servare solent ad hymnos deo decantandos & quietem. Qui verò sunt in hoc vitæ instituto exercitati, ad tantam patientiam pervenerunt, ut torti & cruciati, flammis usti, & per tormenta omnigena transeuntes, scilicet ut vel legislatori suo maledicerent, vel aliquid de non consvetis comederent, ad neutrum faciendum induci potuerint.* Id ipsum & habet lib. II. de Abstinentia §. LXI. seu in fine. Clearchus Peripateticus Philosophus in primo libro de Somno hæc de quodam Judæo refert Aristotelis verba, apud Josephum lib. I. contra Apionem, supra medium: *Is homo multos hospitio recipiens, & de superioribus ad maritima descendens, gravissimus erat non solùm eloquio, sed etiam animo. Et tunc nobis degentibus apud Asiam, cum divinus homo venisset ad ea loca, confabulari cœpit nobiscum, & cum aliis scholasticis, eorum sapientiam tentans, cumq; multi eruditorum congregarentur, tradebat potius aliquid eorum, quæ habebat.* Addit Josephus: *Hæc ait Aristoteles apud Clearchum, & super hæc multa, ac mirabilem continentiam Judæi viri in cibis, & castitatem narrat.* Eadem habet Eusebius lib. IX. Præpar. Evangel. cap. V.

CXX. Sic & vaticinia in his revelationibus contenta nihil dubium, multò minus falsum aut ad deceptiones compositum continent, sed manifestissimas & verissimas prædictiones, quæ & maximam partem jam completæ sunt. Quasdam ex iis proferre operæ pretium fuerit. Cum Jacob Patriarcha Josephi filiis benediceret, Ephraim minorem Manassi majori natu præferebat: monitusq; à Josepho, se minimè hallucinari dixit: minorem enim prævaliturum & in magnã gentem evasurum. Eventus respondit: Ephraim enim tribus semper auctoritate in constituendis castris, & aliis dignitatibus tribui Manasse prævaluit. Unum enim ex quatuor vexillis erat tribus Ephraim, Manasse autem

autem erat sub illo vexillo, Num.I,32 cap.II.18. cap.X.22. Sic & Josua dux totius exercitus erat ex tribu Ephraim, cap.XIII.9. & Jeroboam primus rex super decem tribus oriundus erat ex Ephraim, I. Regum XI.26. & sedem regni sui habebat in urbe Sichem, quæ sita erat in Ephraim, I.Reg.XII.25. apud Josephum lib.VIII. Antiq.cap. III. atq; sic præcipua tribus in regno Israel mansit Ephraim, indeq; illud denominatur Esai VII.9.17. cap. XI.13. & alibi. Josua orbitatem liberorum imprecabatur ei, qui urbem Jericho instauraret, ut primogenitum amitteret, cum fundamenta ejus jaceret, & minimum natu, cum collocaret portas ejus, Josuæ VI.26. Et ita accidit quingentis circiter pòst annis sub Achab rege Israel. Hiel enim quidam ex Bethel, seculi impietate fretus, urbem illam restituebat, & amittebat primogenitum Abiram, cum fundamenta poneret, & minimum natu Segub, cum portas statueret, uti refertur in primo libro regum multis seculis pòst scripto, cap.XVI.34. Ulterius sub Jeroboamo veniebat propheta ex Juda & vaticinabatur, filium nasciturum ex familia Davidis, cui nomen Josias, qui super altari, ad quod sacra faciebat Jeroboam, immolaturus esset falsos sacerdotes & humana ossa combusturus, I. Regum XIII.1. apud Josephum lib. VIII. Antiquit. cap. III. idq; ita impletum trecentis & amplius annis post. Josias enim rex, filius Amon, metu Dei perculsus idololatriam non tantùm in suo regno, sed & inter Israelitarum reliquias, qui cæteris in Assyriam abductis, remanserant, extirpabat & ossa falsorum sacerdotum è monumentis extracta super dicto altari cremabat, quod in II. libro Regum XXIII.16. narratur, & apud Josephum lib.IX. Antiquit. cap. V. qui inter alia sic ait: *Cujus prædictionis eventus post annos trecentos sexaginta unum secutus est.* Pariter & Esaias propheta Cyrum Persarum regem nominavit, & quid facturus esset, prædixit, ducentis annis antequam existeret, nempe quòd populo Judaico pote-

statem facturus esset redeundi in terram Judæ & templum suscitandi, cap. XLIV. 28. cap. XLV. 1. Id quod evenit suo tempore. Cyrus enim primo regni sui anno populum captivum dimisit, eiq; ut urbem Hierosolymam & templum restitueret, potestatem dedit, uti legere est II. Paralip. XXXVI. 22. Esdr. I. 1. cap. VI. 3. Quomodo ad agnitionem Dei Israëlis pervenerit rex & per universam Asiam scripserit, refert Josephus lib. XI. Antiq. cap. I. & subdit: *Hoc autem Cyrus cognovit ex lectione libri, qui Esaiæ prophetias continet, ducentis & decem annis ante ipsius ætatem conscriptas.* Propheta Jeremias prædixit, Judæos captivos Babylonem abducendos à Nebucadnezare, & ibi mansuros LXX. annos, cap. XIX. 10. XXV. 12. Et II. Paralip. XXXVI. 12. dicitur *terra desolata & vastata egisse sabbata sua, donec implerentur septuaginta anni.* Sic & Daniel vastitatem Hierosolymæ duraturam septuaginta annos prædixit cap. IX. 2. Hi anni si supputentur ab anno quarto Joakimi regis Judæ & primo anno Nebucadnezaris, finis eorum incidit in primum annum Cyri, non quo Persis, sed quo Babyloniis imperavit, seu quo regnum Babylonicum excîdit & Persicum extulit. Porro Daniel vaticinatus est de translatione imperii ab Assyriis ad Medos ac Persas cap. II. 32. 39. V. 28. VII. 5. VIII. 3. 20. X. 20. XI. 2. deindeâ Persis ad Alexandrum Macedonem, qui universæ terræ imperaturus esset, cap. II. 32. 39. VII. 6. VIII. 5. 6. 7. 8. 21. X. 20. XI. 3. 4. & tandem à Græcis ad Romanos, qui ferreâ potentiâ omnia essent contrituri, cap. II. 33. 40. 41. 42. 43. VII. 7. 19. 23. 24. itemq; de Antiocho Epiphane, qui Judæos gravissimè esset afflicturus cap. VIII. 9. 10. 11. 12. 23. 24. 25. XI. 21. & seqq. Quæ omnia ita sunt impleta, ut narrantur. Josephus eventum hujus prophetiæ ostendens lib. X. Antiq. cap. XII. inter alia sic ait: *Quæ quidem calamitas genti nostræ sub Antiocho Epiphane accidit, ita ut futurum Daniel ante multos annos scripserat.* Et lib. XII. cap. XI. *Prædixerat eam desolationem* (sub Antiocho) *propheta Daniel ante annos*

nos quadringentos octo, *disertè dicens à Macedonibus profanandum.* Porphyrius nihil habuit, quod tam manifestis prædictionibus opponeret, quàm librum illum non esse Danielis, sed à quodam, qui temporibus Antiochi vixerit, conscriptum, apud Hieronymum in Proœmio Commentar. in Danielem, & ad cap. XII. Danielis. Sed hoc perinde fuerit ac negare, quod historia Cæsaris aut Sallustii sit scripta à Cæsare aut Sallustio, cui antiquitus semper sine contradictione est tributa. Et nonne Ptolomæus Philadelphus & Danielem in Græcam linguam transfundi curavit? nonne in versione ista eadem leguntur?

CXXI. Deniq; & hoc constat, quod revelationes Judæorum multò faciliorem reddant cognitionem & cultum Dei, non solùm quod omnia in iis contenta, quæ scire omnium intererat, sint plana & perspicua, sed & quòd semper in Synagogis fuerint prælectæ & populo explanatæ. Neq; enim Judæi sua oracula occultarunt, ut gentiles, de quo Porphyrius in libro de oraculis apud Eusebium lib. IV. Præparat. Evang. cap. V. & VIII. sed toti populo maximis & minimis manifestarunt, sicut ipsis eorum revelationibus cautum est, Deuter. IV. 10. VI. 7. XI. 19. Nehem. VII. 3. Lex quidem grave jugum erat, attamen delinquentibus non deerant remedia observatu facilia, quibus expiari & Deo reconciliari poterant. Sic ergo Judæos veras divinas revelationes accepisse, hactenus ostendimus, idq; non tantùm rationibus manifestis, sed & claris, quas passim inspersimus, ipsorum gentilium confessionibus. Diodorus Siculus sanè lib. I. Biblioth. Histor. circa finem num. XCIV. Mosen Deum, qui Jao dicitur, legum suarum auctorem fecisse, scribit. Strabo lib. XVI. Geogr. in medio, Orpheo, Musæo, Zamolxi, & aliis, qui Deum ex ipsius opinione verè consuluerunt, *Mosen & successores ejus* accenset. Chalcidius in Timæum Platonis *non humanâ facundiâ, sed divina inspiratione eum fuisse vegetatum*, ait. Justinus ex

Trogo Pompejo lib. XXXVI. num. II. Josephum filium Jacobi patriarchæ, *prodigiorum sagacissimum fuisse & somniorum primum intelligentiam condidisse, tantaq; experimenta ejus fuisse, ut non ab homine, sed à Deo responsa data fuerint visa*. Porphyrius de Essenis Judæorum lib. IV. de Abstinentia §. XIII. hæc prodit: *Ab hac vivendi consvetudine & ad pietatem exercitiis multos ad futurorum cognitionem devenisse æquum est ut credamus, sacris videlicet libris, & variis purificationibus & prophetarum dictis à prima ætate operam dantes, rarò quidem in suis prædictionibus aberrare*. Quæ verba & citat Eusebius lib. IX. Præparat. Evang. cap. III. Idem Eupolemi testimonium ex Alexandro Polyhistore affert cap. XVII. *Cum apud Heliopolin*, inquit Alexander, *Abraamus Ægyptiorum sacerdotum consvetudine plurimùm uteretur, multa ipsos, nec non Astrologiam, quæq; ad eam pertinent omnia, illo docente, didicisse tradit; sic tamen eorum inventionem Babyloniis atq; Abrahamo ipsi attribuens, ut principem illorum auctorem Enochum fuisse statuat, quippe qui primus omnium Astrologiam invenerit, non autem Ægyptii —— Atlantem eundem esse, quem Enochum, qui Mathusalamum patrem habuerit; huncq; ab Angelis Dei omnia didicisse, quæ tandem ad nos cognitionemq; nostram permanarint*. Idem Polyhistor ex Melone refert, quomodo Abraham à Deo jussus fuerit Isaacum filium mactare, & ab Angelo fuerit prohibitus, apud Eusebium lib. IX. Præparat. cap. XIX. Idem, quomodo Jacob luctatus fuerit cum Angelo, & Israëlis nomen acceperit, & Josephus somnia Pharaoni exposuerit, ex Demetrio narrat cap. XXI. Quomodo Moses divinitus monitus fuerit de liberandis Judæis ex Ægypto, Eusebius ex Artapano refert cap. XXVII. quod Moses annos quadraginta Prophetæ munus obierit, cui Jesus Nave filius successerit, & postea Samuel propheta extiterit, ex Eupolemo cap. XXX. & quòd Hieremias Propheta tempore Joachimi oracula ediderit, à Deo missus, ex eodem Eupolemo cap. XXXIX. Tandem ex Porphyrii libro primo

primo de oraculorum Philosophia Eusebius lib. IX. Præpar. cap. X. Apollinis responsum profert: *Plurima quin etiam adsuperas via cognita sedes Phœnici, Assyrio, Lydo, Hebræoq; colonis.* Et aliud quoddam oraculum ejusdem Apollinis: *Chaldæo Hebræoq; unis sapientia cessit, Qui casto æternum venerantur Numen honore.* Idem citat Justinus Martyr in Parænetico antemedium. De revelationum ergo Judaicarum veritate hactenus dictum sit.

Liber Secundus.

I.

Nunc aliunde sumptô initiô de præcipua in his revelationibus contenta promissione, quæ æternam cujusq; salutem maximè concernit, quæq; fœderi cum patriarchis inito erat innexa, dicendum est. Cum enim Deus juberet Abrahamum exire è terra sua, dicebat ad eum: *Benedicam eis, qui tibi benedicent: maledicam, qui tibi maledicent, & in te benedicentur universæ familiæ terræ,* Geneseos XII. 3. Id postea recepetiit, cum eum inviseret in querceto Mamre, cap. XVIII. 17. *Num celabo*, ait, *Abrahamum, quæ gesturus sum: quum Abraham omnino futurus sit in gentem magnam & robustam, benedicendæq; sint in eo omnes nationes terræ?* Et rursus cap. XXII. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Idem promisit postea Isaaco cap. XXVI. 4. & Jacobo cap. XXVIII. 14. nempe filium ex posteris eorum nasciturum, qui maledictionem per peccatum illatam auferret, & benedictionem omnibus populis communicaret. Hæc spes Israëlis erat, hunc filium, suo tempore venturum, Judæi crediderunt, indeq; promissam salutem expectarunt. Tempus autem, quo nasciturus esset, vel venturum esset hoc benedictum semen, patriarcha Jacob determinavit, cum

cum ante mortem filiis bene precaretur, & Judam his compellaret verbis: *Non recedet sceptrum de Juda & legislator de pedibus ejus, donec veniat cui repositum est, & ad illum gentes confluent*, Genes. XLIX. 10. Ubi is, cui sceptrum vel regnum repositum est, semen illud benedictum est, seu, ut postea appellatum fuit, Messias, unctus, quod rex esset futurum. Per sceptrum imperium & potestas, per legislatorem scriba & doctor denotatur, non quivis, sed cum potestate judicandi, de quo Deut. XVII. 10. ut hic sit sensus: *De Juda non recedet potestas, regimen, & dominium certaq; reipub. forma, ut & scientia & interpretatio legis per scribas cum potestate judicii, donec veniat Messias, qui non solùm Juda, sed & gentibus omnibus dominabitur.* Hæc genuina est horum verborum interpretatio, ab ipsis priscis maximè Rabbinis & Judæorum doctoribus tradita. LXX. Interpretes, qui tempore Ptolomæi Philadelphi libros sacros Judæorum in Græcum sermonem converterunt, sic habent: *Non deficiet ἄρχων princeps ex Juda, & dux ἡγέμενος ex femoribus ejus, donec veniant reposita ei τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, & ipse expectatio gentium.* Quid autem Judæ repositum erat? adventus Messiæ, ex sangvine ejus oriundi, & cum eo benedictio, gloria & felicitas Israëlis. Alia exemplaria habent ᾧ ἀπόκειται *cui repositum est*, scilicet regnum & judicium. Et hæc planior & melior lectio est. Nam de alia persona à tribu Juda distincta sermonem esse, ex additione manifestum est: *Et ipse erit expectatio gentium.* Similis quoq; locus est Ezechiel. XXI. 27. *Donec veniat ᾧ καθήκει, cui convenit*, scilicet corona, *& tradam ei.*

II. Chaldæus Paraphrastes Onkelos, qui paulò ante adventum Christi, vel circa Christi tēpora Biblia sacra vertisse putatur, his mentem patriarchæ expressit: *Non auferetur habens principatum Abbed schultan à domo Juda, neq; scriba Saphra à filiis filiorum ejus usq; in seculū, donec veniat Messias Meschicha, cujus est regnum,*

&

& ei obedient populi. Hic confirmat lectionem septuaginta interpretum ᾧ ἀπόκειται *cui repositum est* regnum. Messiam quoq; & principatum expresse nominat Jonathan Ben Uziel, qui XXX. circiter annis ante Christum vixit, & eundem in modum hæc verba reddidit: *Non cessabunt Reges & præsides de domo Juda, & scribæ docentes legem ex semine ejus usq; ad tempus, quo veniet Rex Messias, minor filiorum ejus, & propter eum colliquescent populi.* Targum Hierosolymitanum seu Expositio præcipuorum locorum Pentateuchi Hierosolymitana, quæ fragmentum quoddam est integræ versionis, hunc in modum habet: *Non deficient reges de domo Juda, neq; scribæ, doctores legis de filiis filiorum ejus usq; ad tempus, quo veniat rex Messias, cujus est regnum: & ei subjicientur tandem omnia regna terræ.* Hæc sunt præcipua, post Mosen & Prophetas, Judæorum scripta, quibus antiquitate vel auctoritate paria non habent. Addimus & versionem Persicã Jacobi Tavvosi, Judæi, anno Christi demum M CCCCC LI. ab ipsis Judæis editã, in qua sic legitur: *Non recedet imperium à Jehuda, & scriba è medio filiorum ejus; donec veniat Christus ejus, & ei congregabuntur gentes.* Rabbi Salomon, Jarchi dictus, in Notis ad Biblia h. l. ita scribit: *Non auferetur sceptrum à Juda, à David & ulterius illis capitibus captivitatis in Babel, qui erudierunt populum sceptro mammonæ* (judicio pecuniario) *loco regni: & legislator à pedibus ejus, id est, doctores illi principes Israël, donec veniat Silo, id est, rex Messias, cujus est regnum, & sic explicant Onkelos & Midrasch Egada.* Pariter & de Messia hæc verba exponunt Bechai, Kimchi, Baal Hatturim, Bresit Rabba, & Bresit Ketzara, & liber Sanhedrim, licet non omnes Silo legerint, vel eandem istius vocis significationem tradiderint, sed quidam Sello verterint, cui quidam sailo, id est, munus illi, citantes locum Psalm. LXXVI. 12. quidam Sil aut Silja secundina, quasi filius secundinæ, juxta illud Deut. XXVIII. 57. quidam Siloach mittendus. Neq; dubium est, quin Judæi per mechokek scribam cum potestate vel cum respectu potesta-

potestatis intelligant. Sic enim legimus in Bresit Rabba: *Et scriba ê medio pedum ejus. Isti sunt sedentes Jabets docentes sententias in Sanhedrim magna, quæ est in Consistorio, sive in camera dolata, sive polita in parte Judæ, sicut dictum est I. Paral. II. 55. Et familiæ scribarum sedentes in Jabets janitores vel cantores &c.* R. David Kimchi in libro Radicum in radice Schebet sceptrum: *Vocatur*, inquit, *princeps & dominator Schebet: Mos enim dominatorum est, ut sit virga vel baculus in manu ipsorum, & quia virga disciplinæ plebis in manu ipsorum est.* Et in Chakak descripsit: *Mechokek significat scriptorem. Cum igitur dicitur: Et scriba de medio ejus, tangitur mos dominantis, ut scriba sedeat ad pedes ejus.* In scripturis quoq; ista vox scribam cum potestate significat, quia principum est leges scribere seu condere, secundum illud Prov. VIII. 15. *Principes scribent justitiam.* Esai XXXIII. 21. *Dominus judex noster, Dominus Mechokekenu legislator noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Psalmo CVIII. 9. *Juda Mechokeki scriba meus*, ait David, per quem leges condo & judicia exerceo. LXX. reddiderunt *βασιλεύς μȣ rex meus*: regnum enim ex Juda erat. Utadeo constet, regiam & judiciariam potestatem hîc intelligi, quæ tam diu penes tribum Judam permanere debebat, etiamsi non omnes Reges aut judices ex tribu Juda nati essent, donec veniret Messias, & rex & judex & doctor populi sui imo omnium gentium futurus. Jam constat ante sesquimille & ultra annos potestatem regiam & judiciariam à Judaico populo prorsus ablatam esse: Unde sequitur benedictum semen Abrahæ seu Messiam jam dudum venisse.

III. Habent Judæi, quod objiciant, qui nondum sibi persvadere possunt, Messiam sibi promissum venisse. Primò dicunt, etiamnum capita captivitatis suæ esse de tribu Juda in hoc suo exilio, uti olim in Babel. Sed quæ sunt illa capita captivitatis? num docentes legem vel interpretes legis? At aliud sunt docentes, aliud reges & judices; inter doctores primus nondum

rex est aut judex. Ubicunq; sunt Judæi vel legibus Christianorum, vel Persarum, vel Saracenorum vivunt, nec ullum habent proprium judicium. At in captivitate habebant suum regem proprium adhuc, & judices, & prophetas reditum in patriam prædicantes, qui & brevi sequebatur. Et porro loquitur patriarcha de dominio & judicio non ubivis locorum, sed in Palæstina seu terra promissa: Fertilitatem enim terræ describit, quæ sorte obtigit tribui Juda. Secundò objiciunt non prædici semper Judæis fore regem & judicem, sed quando fuerit, fore eum ex tribu Juda: Sed hoc falsum est: Nam & Moses regiam potestatem habebat, & Josua, qui tamen non erant ex tribu Juda. Moses erat ex tribu Levi, Josua ex tribu Ephraim; postea quindecim judices ordine sibi succedebant, sed inter illos duo tantum erant ex tribu Juda, Othniel & Abesam. Primus autem rex Saul ex tribu Benjamin erat; & post reditum ex captivitate Babylonica Hasmonæi fuerunt ex tribu Levi, usq; ad Herodem, qui fuit alienigena, Idumæus. Ideo non hoc vult patriarcha, quod ex tribu Juda omnes reges & principes essent oriundi, sed quod dignitas & potestas regia & judicialis mansura esset penes tribum Juda, undecunq; reges & principes originem traherent, seu tribum Judam suas leges suamq; reipub. formam retenturam, donec veniret Messias, quicquid cæteris tribubus eveniret. Deinde non dicitur, fore per intervalla regem & judicem tribui Judæ, sed semper: *Non auferetur*, inquit, *sceptrum de Juda*, sicut dicitur Zachar. X. 11. *Et sceptrum Ægypti recedet*, id est, Ægyptij non imperabunt amplius Israëlitis, proinde si non auferetur sceptrum de Juda, ille utiq; semper habebit imperantem, donec veniat Messias. Neq; captivitas Babylonica hîc obstat. Tunc enim unà cum imperante & judicibus suis in captivitatem ad tempus abducti fuerunt, juxta comminationem Dei Deut. XXVIII. 36. Hæc non ablatio sceptri, sed tempore castigationis quædã ejus impeditio erat. Tertiò objiciunt, Patriarchæ sensum

sensum hunc esse: *Non recedet sceptrum de Juda, ad, in æternum, Ci quando veniet Messias.* Sed & hæc vana est verborum detorsio, nulli antiquo interpreti cognita: Neq; enim quid demum post adventum Messiæ futurũ esset, indicat patriarcha, sed quid proximè cuiq; tribui expectandum esset, & omninò quod Messias ex tribu Juda venturus esset, summum bonum erat, meritò prænunciandum, imò quod sceptrum & regimen tot seculis ante Messiam tribus Juda esset obtentura. Deinde similem loqvutionem non ostendent, *ad, donec,* significat & Genes. XXVI. 13. *Et ibat* (Isaac) *proficiens atq; succrescens, Ad ci donec magnus vehementer effectus est:* Quomodo iterum & Onkelos & LXX. interpretes vertunt. Quartò obtendunt sensum hunc esse: *Non recedet sceptrum à Juda, donec veniat Silo,* id est, Saul ungendus in Silo, vel Jeroboam multis annis postea ungendus in Silo, super decẽ tribus. Sed aliud est Silo, aliud ungendus in Silo: non dicit patriarcha, donec veniat ungendus in Silo, sed *donec veniat Silo,* quod non de urbe, sed de persona tantùm intelligi potest. Nec Saul in urbe Silo unctus est, nec Jeroboam, sed Saul in Masphat, I. Sam. X. 17. Jeroboam in Sichem, I. Reg. XII. 25. Porro tunc temporis sceptrum non fuit ablatum à Juda: Nam & Saul primò & præcipuè ad tribum Juda pertinebat, cujus erat regnũ, conseqventer ad cæteras, & mox David oriundus ex tribu Juda regnum capessebat, ejusq; posteri regnum retinuerunt fermè quingentos annos usq; ad captivitatem Babylonicam. Et quid dicemus de verbis seqventibus: *Et ad illum gentes confluent?* Num hoc de urbe Silo, vel de Saule, & Jeroboam dici potest? Quintò objiciunt, vaticinium hoc esse accipiendum de Nabochodonosare, hoc sensu: *Non auferetur regnum à Juda, donec veniat Nabochodonosor,* qui regnum Juda destruet & regem Babylonem abducet. Sed falsum est, quod regnum Juda tunc fuerit destructum; captivum tenebatur & suo splendore privatum erat, attamen adhuc habebant Judæi regem suum suosq; Seniores & judices, qui eos ex consensu

sensu regis Babylonii judicabant. Et Joachim filium Jojakim Evilmerodach in ipsa captivitate efferebat super omnes reges, qui erant Babylone, Jerem. LII,31. Princeps quoq; ex stirpe Juda erat Zorobabel, qui populum ex captivitate reducebat, I. Paral. III,19. Hagg. I.1. & alii deinceps usq; ad Hasmonæos seu Maccabæos, sed & horum regimen primò & præcipuè tribum Juda attinebat, quæ sola fere supererat, II. Reg. XVII,18. Benjamin enim & Levi, & si qui ex aliis tribubus erant, tribui Judæ erant admixti & ab illa nomen habebant, donec tandem Herodes regnaret, cujus regnum adhuc regnum Juda erat sua forma suisq; legibus contentum. Deinde non competunt verba sequentia in Nabochodonosarem: *Et ad ipsum gentes confluent* ipseq; erit spes gentium. Non enim hoc esset solatium pro tribu Juda, sed pro gentibus contra tribum Judam. Neq; gentes ad Nabochodonosarem confluxerunt, eiq; ultrò adhæserunt, sed ille vi eas reluctantes & invitas sibi subjecit, Esai. XIV. 6. Sextò sunt qui per Schebet non sceptrum, sed *virgam & castigationem* intelligunt, ut usurpatur Job. IX. 34. huncq; verbis sensum affingunt: *Non auferetur virga, castigatio & tribulatio à Juda, donec veniat Messias.* Sed læta annunciat patriarcha tribui Juda, non tristia, dominationem, non subjectionẽ, ut verba antecedentia clarè ostendunt. Et quomodo cum percussione populi cohæret *dux de femore ejus vel inter pedes ejus*? Non enim de peregrino legislatore, sed qui sit tribui Judæ proprius vel etiam ex sangvine ejus, sermo est. Ita qui relinquunt antiquam avitam & genuinam interpretationem ineptire, fluctuare, nec habere ubi pedem figant, necesse est.

IV. Videbimus, quomodo antiquæ Ecclesiæ doctores hoc dicto olim contra Judæos pugnarint. Justinus Martyr in Dialogo suo cum Tryphone Judæo, ante medium ita scribit: *Sed enim per ipsum etiam Jacobum patriarcham prædictum est, duos Christi futuros adventus: eumq; in priore perpessionibus subditum fore: atq;* ubi

ubi is venisset, in genere vestro neq; prophetam, neq; regem futurum. Inde citat verba Patriarchæ, & ſubdit: *Porrò nunquam prius in gente vestra esse desiisse, neq; prophetam neq; principem, ex quo imperium accepit; ne impudenter quidem vel dicere audetis vel probare potestis. Nam Herodem Ascaloniten, sub quo passus est Christus, allegantes, nihilominus dicitis in genere vestro fuisse sacrorum antistitem, adeo ut etiam tum vobis licuerit juxta legem Mose offerre oblationes, & legitima alia custodire; tum autem Prophetas successione sua usq; ad Johannem extitisse: quemadmodum tum quoq; cum Babylonem abductus esset populus vester, terrâ vastatâ, & sacris vasis sublatis, non desiit esse ex vobis propheta, qui dominus, & dux, & princeps populi vestri fuerit: Spiritus enim, qui erat in prophetis, reges vobis unxit & constituit. At post Jesu Christi in genere vestro manifestationem & mortem, haudquaquam propheta extitit, nec extat. Sed & sub rege proprio esse desiistis. Ad hæc & terra vestra desolata est, & tanquam custodia pomorum relicta.* Conceſſerunt ergo olim communiter Judæi, quod prophetam & principem ſemper habuerint usq; ad Herodem & templi deſtructionem, quod nunc quidam in dubium vocare conantur. Citat lectionem LXX. interpretum hanc: τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Eandem lectionem habet in ſequentibus ſupra medium, ante finem, & ibidem teſtatur, quod Judæi hanc lectionem pro ſe citarint, & alteram ᾧ ἀπόκειται rejecerint, ad quod reſpondet his verbis: *Poteram autẽ, ô viri, inquam, adversum vos decertare de loquutione, quam vos interpretando profertis dictum esse asseverantes, Donec veniant, quæ reposita sunt ei: nam septuaginta illi non ita verterunt; sed, donec veniat, cui repositum est. Quoniam verò consequentia de Christo dicta esse verba ea indicant: sic namq; habent, Et ipse erit expectatio gentium, non disputabo vobiscum de distinctiuncula* περὶ τοῦ λεξιδίου. Origenes lib. IV. de Principiis cap. I. & in Philocalia in principio itidem legit ᾧ ἀπόκειται dum ait: *Quid verò inde dicendum est, quod prophetæ de ipso antè prædixerant, non cessaturos principes ex Juda,*

neq;

neq; duces de femoribus ejus, usquequo veniat ille, cui repositum est, regnum scilicet, & usquequo veniat expectatio gentium. Manifestissimè enim ex ipsa historia apparet ex his, quæ hodie pervidentur, quia ex temporibus Christi ultrà reges apud Judæos non extiterunt. Sed & illæ omnes ambitiones Judaicæ, in quibus se jactabant quàm plurimi, & in quibus exultabant, vel de templi decore, vel de altaris insignibus, atq; omnibus illis sacerdotalibus infulis, indumentisq; pontificum, simul destructa sunt. Idem testatur, quod Judæi olim objecerint, se adhuc habere principem ex genere Juda, idq; dissolvit, addito alio scripturæ loco, Oseæ III. 4. *Si verum est,* inquit, *quod ait propheta, quia dies multos sedebunt filii Israël sine rege, sine principe, nec erit hostia, nec altare, nec sacerdotium: & utiq; ex quo subversum est templum, nec hostiæ offeruntur, nec altare invenitur, nec sacerdotium; constat & certissimum est defecisse principes ex Juda, sicut scriptum est, & ducem ex femoribus ejus usq; quo veniet ille, cui repositum est. Constat ergo quia venit ille, cui repositum est, in quo expectatio gentium est.* Idem & alteram lectionem habet: *Quæ reposita sunt ei,* lib. I. contra Celsum in fine ferè, sed mox corrigit, dum addit: *Veniet enim is, cui repositum erat, Christus.*

V. Eusebius lib. VIII. Demonstrationis Evangelicæ parum ab initio prolixè hoc dictum explicat & contra Judæos defendit. Inter cætera sic ait: *Cum autem venisset* (Jacob) *ad quartum, qui Judas fuit, tum verò oraculum, quod ipsi olim responsum fuerat, Reges de lumbis tuis egredientur, ex hujus posteritate suum finem accepturum planissimè cecinit: Constat enim, quemadmodum de tribu Juda regium genus extiterit, & simul Dei responsa gentiumq; promissa quibus instarent temporibus, ostendit. Atq; ex eo proditurum esse docuit eum, qui omnibus gentibus, cunctisq; tribubus terræ similis ipsi Abraham benedictionis autor futurus. Hæc igitur universa fuerunt, quæ ipsi Juda reposita erant, ea videlicet, quæ de ipsis gentibus olim responsa fuerant, & illud, Reges de lumbis tuis egredientur, quare etiam reliquis fratribus antepositus regiam ipsam cæterisq; illustriorem*

lustriorem tribum sortitus est. Sic ille explicat, qua ratione & legit, τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Eandem lectionem habet & Athanasius in libro de Incarnatione Verbi Dei supra medium: *Moses quoq;*, ait, *eodem spacio regnum Judæorum circumscribit, idq; hujusmodi vaticinio: Non deficiet princeps ex Juda, neq; dux de femoribus ejus, donec venerint quæ reposita sunt ei,* τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *& ipse expectatio gentium* —— *Si igitur vel nunc ullus est apud Judæos aut rex, aut propheta, aut visio, rectè inficiantur advenisse Christum: Sin autem neq; rex, neq; ulla prophetia superest, sed obsignata est in posterum & omnis prophetia, & civitas capta: quorsum ista impietas & tergiversatio, ut qvum ista ipsa facta videant, autorem, qui hæc fecit, Christum negent?* Alibi tamen, nempe lib. in Passionem & Crucem Domini in fine, alteram lectionem habet ᾧ ἀπόκειται: *Neq; senserunt,* inquit, *qvùm inficiarentur Dominum regem suum esse, se spoliari Davidico honore: siquidem illi repositum erat Davidis regnum, & usq; ad adventum Salvatoris id propagatum fuit, teste patriarcha Jacob ita dicente: Non deficiet princeps ex Juda, neq; dux de femoribus ejus, donec venerit ille, cui repositum est.* Eandem lectionem habet & Epiphanius, eiq; aliam addit, Hæresi XX. Herodianorum, ubi & indicat Judæos fuisse motos hoc loco, ut Herodem Messiam existimarint. Verba ejus sunt: *Christum, qui in scripturis omnibus ac Prophetis expectabatur, esse Herodem existimabant, deq; eo falsa quadam animi inductione gloriabantur. Ac præterquam quod in illius regis gratiam vanè ista jactabant, etiam ipsis scripturæ ille locus imposuit: Non desinet princeps è Juda, neq; dux ex femore ejus, donec veniat,* ᾧ ἀπόκειται *cui reservatum est; Vel, ut in aliis exemplis legimus, donec veniat* ᾧ τὰ ἀποκείμενα *cui sunt reservata* —— *Quod ex aliena ille gente regnare cœperat, cum hactenus à Juda, & Davide regnum, atq; ex Judæ stirpe Princeps ac Patriarchæ perstitissent, quod inquam imperium in externum hominem translatum fuerat, idoneum illis visum est erroris argumentum, ut Herodem esse Christum, arbitrarentur, quod ex illo scripturæ loco con-*

consequens videbatur: Non desinet Princeps è Juda, donec venerit, cui reservatum est. Ut eo sensu sit accipiendus, quasi Herodi reservatum esset. Desierunt enim, ajebant, illi. Porro iste de Judæ genere non est, ac ne omnino quidem Israëliticæ gentis. Huic autem Christo esse reservatum fuerat. Idem de Herodianis testatur Tertullianus in lib. de Præscriptionibus supra medium, & Hieronymus in libro adversus Luciferianos cap. VIII. qui & ipse aliquoties hoc dictum citat, sed semper legit, *Cui repositum est*, ut vel hinc appareat, eum non esse autorem vulgatæ Latinæ versionis, qui legit Sillyach, *qui mittendus est*, sed Patres omnes Græci & Latini consentiunt cum LXX. interpretibus, eaq; antiquissima & maximè probata est lectio. Et Syriaca versio, quæ paulò post Apostolorum tempora ex Hebræo expressa putatur, sic habet: *Donec veniat is, cujus illud est*, nempe sceptrum. Arabicus textus ex Græca LXX. interpretum versione translatus, legit: *Donec veniat is, cujus ipse est.* Silo, quod nunc legitur in Hebræo Masoretico codice, in nullo scriptore antiquo occurrit, neq; Judæi, qui olim cum Christianis decertarunt, illud vocabulum protulerunt. Nec Julianus Archiepiscopus Toletanus Seculo VII. qui contra Judæos disputavit, illud vocabulũ profert, sed legit, *Cui repositum est*, lib. I. contra Judæos Tom. IV. Biblioth. Magnæ Patrum. Lyra conversus Judæus in Notis ad Genes. XLIX. *Hæc dictio*, inquit, *Hebraica, Silo, est proprium nomen loci; significat etiam in alio sensu missionem.* Sic & in libro contra Judæos: *Ubi Hieronymus transtulit, mittendus, Hebraica veritas habet Silo; & est nomen loci, ut dicunt.* Aliam significationem ille ignorat.

VI. Idem, quod promissus Messias jam venerit, demonstramus ex prophetia Danielis IX. 24. & seqq. Verba hæc sunt: *Hebdomades septuaginta decisæ super populum tuum, & super civitatem sanctam tuam ad consummandum prævaricationem, & obsignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum justitiam sempiternam, & ad obsignandum visionem & prophetas,*

& ad ungendum sanctitatem sanctitatum. Scias autem & intelligas ab exitu sermonis, ut rursum ædificetur Jerusalem usq; ad Messiam ducem fore septem hebdomadas & sexaginta duas hebdomadas: Iterum enim ædificabitur platea, & murus, idq; in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta duas excidetur Messias, & non ei erit. Et civitatem & sanctuarium destruet populus ducis venturi, & finis ejus in inundatione & usq; ad finem belli decisæ sunt desolationes. Et confirmabit pactum multis hebdomada una: & dimidio hebdomadæ cessare faciet sacrificium & oblationem, & super ala abominationum vastator, & usq; ad consummationem & finem manebit vastatum. Hîc hebdomades intelliguntur annorum, sicut & alibi in sacro codice istud vocabulum usurpatur, ut de Jacob dicitur Genes. XXIX. 28. *Et absolvit istam hebdomadam, & dedit ei Rachel filiam suam.* Et Lev. XXV. 8 *Numerabis tibi septem hebdomades annorum.* Faciunt ergo LXX. hebdomades annos CCCCXC. Sic Rabbini Judæorum ipsi docent. Auctor Beth Israël, explicans illud Talmudis Tract. de Nazareatu cap. 5. *Dixit Aby: An ignorabatur tempus destructionis templi secundi? nonne scriptum est: Hebdomades septuaginta decisæ sunt super populum tuum & super civitatem sanctam tuam,* sic ait: *Quod scriptum est in libro Danielis* (cap. IX. 24.) *Hebdomades septuaginta decisæ sunt super populum tuum & super civitatem sanctam tuam &c. intelliguntur anni intermissionis septuaginta; sive quadringenti & nonaginta anni decisi esse inter excidium domus primæ & excidium domus secundæ.* R. Saadias Gaon in Commentar. ad Daniel. IX. *Supputemus,* inquit, *& intelligamus, quis sit numerus annorum. Decies septem conficiunt quadringentos & nonaginta annos.* R. Aben Ezra ad eundem locum verba Saadiæ approbat, dum ait: *Dixit Gaon R. Saadias, illas esse hebdomadas annorum: quemadmodũ colligitur ex illis verbis:* (Dan. X. 3.) *Donec complerentur tres hebdomades dierum. Etenim dum mentio fit septuaginta hebdomadarum, nõ dicitur illas esse hebdomadas dierũ: consequens ergo est, illas esse hebdomodas annorum, quomodo legimus* (Lev. XXV. 8.) *Et numerabis tibi septem hebdomadas annorum. Hæc autem expositio recta est.*